



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

143. An quando commodatarius, vel depositarius est dubius, vtrum res sit
sua culpa amissa teneatur illam restituere? Et ad hoc, an requiratur lata
culpa theologica, & mortalis? Idem dicendum est de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

que asserit neminem teneri in conscientia nisi ex culpa graui, & lata, & non ex culpa leui, & leuissima, nisi aliter inter contrahentes sit conuentum. Ita Lessius lib. 2. c. 27. dub. 3. n. 1. & Filiucius in quest. moral. tom. 2. tr. 34. c. 2. num. 23. Ex hac doctrina erunt liberi à multis scrupulis Confessarij: & ego, vt dixi, existimo illam satis probabilem.

4. Non reticebo etiam in hac materia singularem sententiam Ferdinandi Rebellij. *De oblig. inst. p. lib. 16. c. 1. nam. 5. v. que ad num. 10.* asserentis, in foro conscientie in ordine ad restitutionem non sufficere latam culpam iuridicam; sed requiri Theologicam, & mortalem, ac denique solum dolum verum. Itaque vult, si depositarius per crassam ignorantiam, vel incogitantiam; seu obliuionem omittit rem depositam, non teneri in conscientia; nisi, quando culpa scienter est commissa, vt si propter pigritiam nolit expresse rem alienam custodire; vel data opera eam per periculosa loca deferat. Et si audire vis eius verba, hæc sunt: [Quamuis in iudiciali foro depositarius teneatur, non tantum de dolo, sed etiam de lata culpa; quia, quando patet lata culpa, dolus esse præsumitur; tamen in foro conscientie, ubi veritas constat, de solo dolo tenetur.] Hæc ille: an probabiliter, iudicent viri docti, & legant Ioannem Valentem in *diff. enis. etius. q. 1. verb. depositum, d. 1. ff. de 4. num. 4.* qui Rebellium acriter impugnat.

RESOL. CXLII.

Stabularij, nautæ, & caupones ad quam culpam teneantur, an solum de dolo: vel de leui culpa ratione contractus, vel quasi contractus, quod est valde notandum à Confessarijs: Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 21.

§. 1. **R**espondeo, quod licet supradicti sicut omnes, qui deposito pro mercede res alienas recipiunt, in foro externo de omni culpa, etiam leuissima teneantur ex l. c. ita, et hoc, ff. nau. & hoc ne hostium fraudibus pateret.

2. Attamen in foro conscientie puto solum de dolo & leui culpa ratione contractus, vel quasi contractus teneri, & ita in terminis docet Rebell. p. 2. lib. 1. g. 10. num. 11. & alij quod est valde notandum à Confessarijs.

RESOL. CXLIII.

An quando commodatarius, vel depositarius est dubius, utrum res sit sua culpa amissa, teneatur illam restituere?

Et ad hoc an requiratur lata culpa theologica, & mortalis? Idem dicendum est de locatore, & conductore.

Et notatur, quod in foro externo res depositarij apparens incolumis, præsumitur in dolo, &c. Ex p. 4. tr. 3. Ref. 30.

§. 1. **Q**uoad commodatarium affirmatiue respondeo Merolla tom. 1. disp. 3. c. 2. coroll. 7. n. 50. & 51. & Gallet. in margarita casuum conscient. ver. commodatarius, & ver. dubium. Ratio est, quia in dubio potius damnum pati debet qui beneficium accepit, quam qui contulit: deinde vt commodatarius obligetur ad restitutionem sufficit culpa iuridica. Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam teneo cum Ioane Sancio in *selectis, disp. 4. 3. n. 11.* ubi sic ait. Quando depositarius, vel commodatarius dubius est an res sit sua culpa amissa, non tenetur restituere, quia cum delictum non præsumatur, ipse est in possessione suæ innocentie. Ita ille, & Villalobos in *sum. 10. 1. tr. 1. diff. 10. n. 10* sic asserit. [El depositario que duda si la co-

Tom. V I.

sa peregrio por su culpa no esta obligada a restituirla por que esta en posesion y conforme al dolo. h. o. in dubijs non præsumitur delictum. Vnde hanc sententiam tenet Sanch. de mat. 1. 1. 2. disp. 4. n. 18. Lessius lib. 2. c. 27. dub. 3. in fine. Salas in 1. 2. tr. 8. disp. 1. sect. 2. 3. n. 24. Castus Palauus c. 1. di. 3. pon. 1. n. 4. Henkel 1. 3. c. 1. 5. in fin.

3. Nota tamen quod in foro externo, si res depositarij appareant incolumis præsumitur in dolo, & sic depositario incumbit onus probandi casu petiisse, vel non posse simul seruasse res suas, & depositas, ob imminens incendium, vel ex alia ratione, maluisseque res suas seruare, quam alienas, tunc enim cessat dicta præsumptio de dolo, etiam si res suæ viliores essent. Ita Mascard. de probat. ver. de offic. iur. tom. 1. 199.

4. Sed an opinio supra posita in fauorem depositarij, & commodatarij applicanda sit ad locatorem, seu conductorem, negative respondet Merolla 1. 1. disp. 3. c. 3. coroll. 7. n. 54. Sed hanc suam sententiam probabiliter vocat, ergo contraria secundum ipsam esse probabilis.

5. Notandum est etiam pro præsentis materia id quod etiam alibi notauimus, existimare aliquos generaliter, in contractibus neminem teneri ad restitutionem nisi de dolo, & lata culpa: latam autem culpam volunt esse illam, quæ est culpa mortalis; unde infertur etiam si non adhibeatur diligentia communis, quæ faceret latam culpam iuridicam, tamen si hoc proueniat ex naturali obliuione, ita vt excusetur quis à mortali, non obligat illa lata culpa in foro interiori ad restitutionem. Ita Sotus lib. 1. de iust. q. 2. art. 2. Martinus Ledelma 2. par. 4. q. 8. art. 6. §. 1. dubitas. Henriquez lib. 1. 4. c. 3. n. 1. in fine. Emanuel Sà ver. culpa. num. 2. & hanc opinionem alibi cum Lessio lib. 2. c. 7. dub. 8. n. 43. probabilem esse iudicauimus, & nunc iterum iudico, quicquid aliqui aduersum me non solide obmurmurauerint.

RESOL. CXLIV.

An depositarius possit vi re deposita usu consumptibilis verbi gratia frumento, oleo, &c. dummodo certus sit se tantundem eiusdem generis, & bonitatis pretio habiturum, cum Dominus repetierit? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Refol. 68.

§. 1. **V**idetur negativè respondendum, nam si depositarius sine expressa, vel præsumpta domini licentia utatur re deposita, & eam alienet, furtum committere censetur, vt patet ex l. 3. C. deod. & ex *Inst. de oblig. qua ex delicto nascuntur §. furtum.*

2. Verum contrarium tenendum est de rebus vlu consumptibilibus, v. g. frumento, oleo, &c. vt saltè graui peccati condèndus non sit depositarius si ea alienet, modò certus sit se tantundem eiusdem generis ac bonitatis pretio habiturum cum dominus repetierit, nam talis alienatio in nullum eius damnum cedit. Vnde licet Magistratus prohibeat, sicuti ex communi Casareo iure prohibitum est, ne frumentum ex horreo sine eius iussu extrahatur, ne pecunie publicæ in mutuum aliis tradantur, si tamen certum sit neque ipsum Magistratum, neque alios vllum exinde damnum accepturos, quia tã industrius est officialis, vt constitutis temporibus frumenta ac pecunias æquè bona in præputi habeat, probabile est non posse culpæ mortalis damnari. Ita Layman in *Theol. mor. 1. 1. sect. 5. tr. 4. c. 1. §. n. 3. & 4.* qui citat D. Antoninũ, Syluestrum, Nauarum & Rebelliũ.

RESOL. CXLV.

An Thesaurarius alicuius Principis, vel Procurator, seu famulus alicuius Domini, in scio ipso possit cum Domini pecunijs, quas ad expèndendas, vel conseruandas

R habet;

Sup. prima diff. huius tituli infra in tr. 8. Ref. 56. cutim in fia.